Antecessor Secundus.

Quæritis, Auditores omnium ordinum honoratissimi, cur altiorem hunc locum conscenderim? Eâ fini huc conscendi, ut pauca de Circumcisione IESULI Nostri verba faciam. Certè si multi Romani in Italiâ haud dubitarunt Anni initium eum facere diem, quô Augustus Imperator pacificus ad ipsos venerat, referente id in humanæ Vitæ Theatro Zwingero; multô magis nos Christianos decet, initium Anni à Circumcisione Christi facere. Quid enim? nonne Christus est, qui Anni initium cum sanguinis sui purpurâ, tum Nominis sanctimoniâ initiavit paulò post, quam in carnem tanquam coelestis Augustus ac verè pacificus humanæ gentis Imperator venerat. Quod si ergò terrenus pacificator nec non victoriosus Imperator Mundi laudandus, proh immortalem DEUM-quot et quibus laudibus noster pacificator et victoriosus Imperator evehendus? De Atheniensibus Justinus memoriæ prodit, quòd Alcibiadem, cum in navali et terrestri Bello victoriam reportasset, non tantum humanis verum etiam divinis laudibus cumulârint, imò ipsos Deos illi gratulantes obviam protulerint. At quid nos faciemus non nudo homini sed DEO-homini qui æternam pacem et victoriam perennem omnibus hominibus conciliavit! Celebrabimus nomen ejus in æternum, nec interim peculiarem hodiè piâ mente meditari ipsius Circumcisionem dubitabimus, à quâ et ipsi nos non ita pridem initium hujus Anni fecimus. Ecce n. meretur ea omninò peculiarem meditationem præprimis circa hoc, quod currit, non admodum procul à Calendis Januariis distans, Tempus. Dum ego autem sic nominatim jubente eo, cujus apud me plurimum valet Authoritas Circumcisionem Christi Sueri piè meditaturus à latere sum Antecessori Primo, adeoque hic locum Antecessoris Secundi teneo, duo præprimis dicam. Aperiam nempè Circumcisionis Dominicæ primo loco Caussam, ut sciatis omnes, cur Christus circumcidi octavo post Nativitatem Die voluerit; altero tanquam effectum ut et ipsi cognoscatis fructum, quem Christi afferat Circumcisio. Adeste, qui honorifica vestra præsentia Actum hunc Nostrum cohonestare haud dedignati estis, animis: Favete linguis, Viri Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Excellentissimi, plurimum Reverendi, Clarissimi Spectatissimi Patroni et Fautores multis nominibus devenerandi, hoc est, attentâ aure et compressâ voce audite. Quum principalis Circumcisionis finis interior fuerit regeneratio, per quam infantes in peccatis concepti et nati, divinæque gratiæ expertes in gratiam et foedus reciperentur, non immeritò quæritur cur Christus, qui novo hoc foedere cum DEO et secundum humanam Naturam egere minimè videbatur, siquidem conceptus à Spiritu S. innocens ipse, impollutus, segregatus à peccatoribus, Circumcisioni se subjecerit. Aperi mihi piè Christe eorum causas quæ nostri causa pertulisti. Ita scil. est, quod veneras non ut everteres Legem, sed ut impleres: Nascebaris sub Lege, ut eos, qui sub Lege erant, liberares. Tuâ igitur voluntate subditus Legi, ea quæ Legis erant, pro nobis implere omnia voluisti. Tenebamur utique nos omnes præcepto divino ex asse facere satis, ita ut transgressores maledictionem tam corporalem quam æternam incurrerent: